

ius nuditatem & vitæ genus, & puritatem illi se
imitari putant, sed falso. Videtur tamen Epiphanius
in argumento libr. 2. Tom. 1. sentire ab au-
thore suo sic nominatos, qui Adam vocaretur.
Αὐτοὶ δὲ οἱ μανιαῖοι, ait, ἀπὸ τῶν Αὐτῶν οἱ μανιαῖοι καλούμενοι. Hu-
ius sectæ pauci scriptores meminerunt, quia, ut ait
Epiphanius, fuit minuta hæresis, & statim ex Ec-
clesia Dei non tantum explosa, sed etiam in or-
be terrarum extincta. Ac ne nunc quidem no-
men eius extaret, nisi Monachi quidam qui se fal-
sò pietatis & vite austerioris prætextu commen-
darunt, horum hæreticorum impudentes prorsus
mores retinuissent, & inter sanctissima ordinis &
regulæ suæ præcepta posuissent, quales ii qui e-
tiam nunc hodie Adamitæ dicuntur, vigentque
plurimum in Italia: & alii quidam qui Theodo-
sii iunioris seculo vixerunt, de quibus scribit E-
uagr. libro 1. Histor. capite 21. Viuunt enim nu-
di non necessitate quidem adacti, vel inopia ve-
stimentorum, sed ex voti professione. Quo con-
uersationis genere nihil certè dici vel cogitari po-
test fœdius & turpius: sed fœdis hominibus Mo-
nachis perplacent fœdi mores. In quo sunt pri-
mis & sanctioribus Monachis dissimillimi, qui,
quanquam soli, tamen nunquam se nudos vide-
re lostinuerunt, quod refert variis in locis Histo-
ria Ecclesiastica, Socrat. libro 4. cap. 23. Sozom.
libro 1. capite 14. Fuerunt autem Adamiani hære-
tici, quemadmodum scribit Epiphanius, ex μονα-
χοῖς & εγκρατεσμένοις, id est Monachorum gene-
re, ne qui eorum nuditatem probarunt & sequu-
ti sunt, putent se hæreticis illis esse propter mo-
nachalem vitæ rationem meliores. Quanquam
autem